

ingenua, plena, humillima, cum detestatione seriâ conjuncta. De confessione coram Ecclesia in penitentiâ publicâ coram ministrò ecclesiæ ante absolutionem, & coram proximò reconciliando, agitur in L. de Pœnitentiâ, conf. Pf. XXXII, 5.

(2) Solitudinum baud postrema esse debet, quomodo à peccatorum debitò liberari, morboque animæ sanari queamus.

(3) Sat curarum habemus de propriis delictis; quid attinet, curare, citra officium, aliena?

#### USUS E VERSU XX.

(1) Hostes pietatis & vitæ & viribus ut plurimum pollent, in probationem piorum, connivente Dominò, nec non ad resipiscentiam invitante ipsosmet.

(2) Odium frustraneum, seu justis causis destitutum homicidio equiparandum: Matth. V, 22. vid. præcept. V.

(3) Pii si idem experiantur, tantò quietius in Domino sustinent: 1. Pet. IV, 16. 1. Joh. III, 21.

#### USUS E VERSU XXI.

(1) Retributionem urgere suò modò videtur ipsa natura: Prov. XXIV, 29.

(2) Verùm loco boni malum rependere, prorsus est diabolicum.

(3) Odiisse honestatis studiosum non nisi præfracti solent.

(4) Sustinendum autem id omne est spe retributionis larga: Matth. V, 11. Luc. VI, 22.

(5) Pii bonum sectari constanter pergunt, etiam si præmi locò variis exercentur adversitatibus: Psalm. XXXVII, 37.

#### USUS E VERSU XXII.

(1) Contra desertionem oramus quotidie in Petitione VI.

(2) Si deserere nolumus à Deò, non deserendus prius est Deus à nobis, aut ab eodem longè recedendum per profanos mores, &c.

#### USUS E VERSU XXIII.

(1) Maturationem auxilii petunt pii, non Deo terminum figentes, sed periculum exaggerantes.

(2) Salus omnis in & à Deo est. Jesus salus nostra unica & universa: Matth. I, 21. In salute & liberatione à malò finit etiam oratio nostra Dominica,

### PSALMI XXXIX. DISPOSITIO.

Preparatio mortis. Ars moriendi. Taceo: vita brevis.

**E**xpensis diu vitæ præsentis casibus, quam benè ut plurimum fit hominibus profanis, & quam miserè patientum fit piis, profert tandem David

I. Serium animi fluctuantis propositum: dixi, vers. 2. ubi (1) studium: (a) caute vias meas observabo. ibid. (b) lingue peccata evitabo: (c) capistro os meum compescam: (2) ratio hujus circumspeditionis: impius (prosperè nimirum ac insolenter vivens) coram me adhuc scandala quotidie præbens. ibid. (3) consequens: obmutui in silentiò: vers. 3. jucunditate carui: dolor meus exasperatus fuit: ibid. cor incaluit, &c. vers. 4.

II. Petitum: dixi linguam meam: vers. 4. (1) doce me finem meum: mensuram dierum, quantilla ipsa: quam ego deficiens: vers. 5. (2) Ratio, vel ulterior petiti declaratio: ecce (a)

(b) duratio mea quasi nihilum coram te: (c) imò omnes omnino homines mera vanitas: ibid. ambulant siquidem in umbra: vers. 7. perstrepunt frustra; cumulant absque successoris futuræ notitiâ: ibid.

III. Solatium: Deus spes mea. vers. 8. cui è vestigio cohæret novum petitum (1) ereptionis è peccato: vers. 9. (2) aversionis ignominie à stulto metuendæ: ibid. (3) silentii modesti, in respectu ad dirigentem cuncta Dominum: vers. 10. (4) amovendæ plagæ: vers. 11. quæ consumptionem omnisque decoris post se tradit interitum, imò vanitatem arguit fortissime: vers. 11. & 12. (5) exauditionem: vers. 13. ratio: sum tecum peregrinus atque incola, instar cunctorum meorum patrum: vers. 13. (6) refectiois concessionem, antequam absumar: vers. 14.

### PSALMUS XXXIX.

#### EXPLICATIO VERSUS I.

Præfeto Jeduthunis: i. e. traditus est hic Psalmus Davidicus præcentori seu præposito Filiorum Jeduthun, cujus fit mentio 1. Paral. XVI, 38. quod fuerit parens Obed Edom, & cap. XXV, 1. quod ejus, ut & Assaphi ac Hemanis filii, constituti sint ad cantandum, vel infervendum Deo citharis, psalteriis & cymbalis more prophetico, sic Piscator. Aben Esra censet, quod Jeduthun fuerit cantio rhytmica, tunc temporis probe nota, quam vel Jeduthun concinnaverit ipse, vel alius huic, ut decantaret; quâ ratione Jeduthun fuisset carminis initium, juxta quod præfens decantaretur Psalmus, verum cum & alibi mentio in titulis soleat fieri chori certi musici, cui psalmus aliquis peculiariter fuerit commissus, priorem

meritò amplectimur sententiam. Sic Psal. XLII. XLIV. XLV. XLVI. pro filiis Korah, &c. Redic autem hicce titulus Psalm. LXII, 1. למנצח ער & Psalm. LXXVII, 1. ירותן למנצח ער לאסף מזמור

#### EXPLICATIO VERSUS II.

dixi vel dixeram: fugatus nempè, ab Absalomò, vel insigni subjectus tentationi ob impiorum successus prosperos &c: tunc siquidem dixi, i. e. decretum apud me feci, hab mi fûrgesest. Lutherus (antea: ich sprach) Campensis: statui ne verbo quidem ullo sine fructu ansam præbere impiis calumniandi. Sic enim verbum מנצח observante etiam Vatablò, sæpius solet significare id, quod animò, quisque concepit; ut & h. l. sensus sit, se animò ad patientiam compositò silentium sibi imperasse, nihilominus tamen vehementer